


**De Dono Spiritus Sancti, Ad Episcopi Ministerium Haud Alligato,  
Commentatiuncula Altera : In Academia Fridericiana Buetzoviensi Iphis  
Pentecostes Solemnibus MDCCLXII. Ad Excitandum Pium Animi Affectum  
Publice Proposita**

Buetzovii: Fritzius, 1762

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840983697>

Druck Freier  Zugang





a. B.  
48. b. 31.

55

428

Fa 1092 (55.)

1. Nakhmacher, de discrimine inter preparationem euangelicam et euangelii demonstrationem.
2. Braun, de iure Maugul nunciis insignis Colubius nunciis iussu, Sign. D. h. v. m.
3. Jacobi Anthropomorphismus a vera notione immensitatis, sapientiae, libertatis, atque aeternitatis diuinae remotus.
4. Lange, religiosam natalis Domini celebrationem.
5. Triller, de vino modico hypochondriacis salutaris ad sacrum locum Thimoth. 5. 23.
6. Quistorp, de adoptione ecclesiastica veteris Testamenti.
7. Carpow, de regis Iesiae Prophetiae natalibus.
8. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita, negantia.
9. Hartmann, ideam generalem vnicam verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. euoluentis etc.
10. Hartmann, ideam generalem vnicam verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. euoluentis sectionem exegeticam posteriorem etc.
11. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita, negantia.
12. Hartmann, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita.
13. Prier, de officiis Christi nonnulla momenta generalia sistens.
14. Stepinus, de directorio corporis euangelicorum.
15. Prier, de Prophetis et apostolis salua inspiratione diuina.
16. Stepinus, demonstratio existentia diuina ex scriptura sacra.
17. Carpow, de verbis Davidis, maledicentiam simeiticam concernentibus: 777 55P 15 72 א יהוה י רב. 2 Sam. 16. 10.
18. Halman, de 5ε γαρν ε; ακανδωv. corona de spinis. Matth. 27. 29.
19. Halman, de 5ε γαρν ε; ακανδωv. corona de spinis. Matth. 27. 29.
20. Quistorp, de peccato originis.

2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.

- 21., Quistorp, de fide Dei opere, Joann. 6. 29.
- 22., de Marie, de explicatione Joann. 14. 23.
- 23., Hartmann, de Jesu Nazareno vero Messia.
- 24., Mangel, de significatione vocis Susdaimonia in Novo Testamen-  
to ad illustranda loca Act. 17. 22. c. 25. 19.
- 25., Pries, de non consumatis partibus Veteris Testamenti ex Epist.  
ad Hebr. 11. 39. 40.
- 26., Sasse, de Christo, et sacerdote et victima in omnium salutem.
- 27., Raempfer, de modo praedicationis paulinae. 1 Cor. 2. 4. 5.
- 28., Quistorp, de Judaeis corde compunctis. Act. 2. 37.
- 29., Carpon, de Jonae visionibus etc.
- 30., Hartmann de vaticinio Simeonis. Luc. 2. 34. 35.
- 31., Riederer, Ein überaus seltsam Reformationswunder.
- 32., Riederer, Anhang zu dem Reformationswunder.
- 33., Engel, de rationibus consequentiae immediae.
- 34., Mayohl, de angelorum corpore proprio.
- 35., de dono Spiritus Sancti. etc.
- 36., Vittenzwey, anti-blanchiana.
- 37., Heinius, de auctore et causa stragis Aegyptiorum tempore Eze-  
chiae Judaeorum regis ad Illustrationem Jesaiae c. 37. 36.
- 38., Reuß, de gratia Spiritus Sancti applicatae in genere.
- 39., Nahmmacher, de introductione in septem epistolas catholicas  
lectio tertia.

DE  
DONO  
SPIRITUS SANCTI,

AD  
EPISCOPI MINISTERIUM  
HAUD ALLIGATO,

*COMMENTATIUNCULA ALTERA*

IN  
ACADEMIA FRIDERICIANA BUETZOVIENSI  
IPSIS PENTECOSTES SOLEMNIBUS  
MDCCLXII.

AD EXCITANDUM PIUM ANIMI AFFECTUM  
PUBLICE PROPOSITA.



*BUETZOVII*  
TYPIS JOHANNIS GOTTHELFI FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TYPOGR.

SPIRITUS SANCTI

EPISCOPI MINISTERIUM  
HAND ALLGATO


COMMENTARIUNCULA ALTERA

ACADEMIA FRIDERICIANA BÜTTSOVENSIS  
IPSIS PENTECOSTES SOLEMNIBUS

MDCLXII

AD EXCITATIONEM ANIMI VERTICUM

PUBLICIS PROPOSITA



BÜTTSOVA

TYPIS JOHANNIS GOTTLIEBI FRITZII, SENEN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TYPOG.



J. N. J.



Cum ante hoc biennium Rostochii in solem-  
nibus pentecostalibus *de dono spiritus s.*  
*ad episcopi ministerium haud alligato*, com-  
mentari cœperim, atque sim pollicitus,  
quæ tunc absolvi haud poterant, alia me occasione ad-  
diturum esse; alienum non erit in hac gravissima cau-  
sa, quæ cum praxi christiana arcte conjuncta est, fi-  
dem liberare, & absolutis antea historicis observati-  
bus, declarare veram ecclesiæ nostræ sententiam atque  
doctrinam, ad vitam christiano homine dignam recte  
instituendam, ut reliquum systema vere evangelicum,  
apprime accommodatam.

Illud quidem in priori commentatiuncula jam  
ostensum est, qua ratione acciderit, ut doctores chri-  
stiani sæculo imprimis tertio, falsa quadam persuasione  
ducti, ad supplementum quasi aliquod baptismi præter  
insti-

A 2

institutionem divinam comminiscendum delapsi sint, a quo collationem spiritus sancti suspenderent. Atque illud etiam ibi iam docuimus, in orientali ecclesia hunc ritum baptismo superadditum, fuisse unctioem olei, ita tamen ut nec iste ritus ad unius episcopi ministerium fuerit alligatus, nec totus oriens alium præterea ritum unquam noverit, neque adhuc his nostris temporibus agnoscat. Jam vero paullo distinctius explicandum est, quænam fuerit in partibus occidentalibus ecclesiarum consuetudo, & qua ratione tandem istud confirmationis sacramentum apud Romanos plenam suam formam acceperit.

Equidem apud Afros, qui fuerunt pars haud ignobilis occidentalis ecclesiæ, utrumque ritum, & unctioem & impositionem manuum, fuisse receptum, ibidem ex Cypriano docuimus: atque ex illis, quæ disputata sunt, apparet, solam impositionem manuum fuisse Episcopo reservatam, atque propterea unctioem antea peractam a quolibet sacerdote, qui baptismum ipsum conferebat. Sed in aliis occidentis ecclesiis plane orientalium videtur consuetudo obtinuisse, ut sola adhiberetur unctio. Id quod in Mediolanensium nobili ecclesia accidisse, ipse *AMBROSIIUS* nos dubitare vix patitur. a) Perperam enim *BELLARMINUS* b) ex isto quidem *AMBROSII* loco sacramentum aliquod aliud, quod ab unctioem diversum sit, comminiscitur; cum tota orationis coherentia sole clarius doceat, unum eundemque un-

a) *AMBR.* de iis, qui initiantur mysteriis, C. 6 & 7. T. IV. oper. p. m. 424. ff. b) *Controv. fid.* L. II. p. m. 84. ff.

tionis ritum, de quo adhuc disputaverat *AMBROSIIUS*, & signaculum & confirmationem ab eo vocari. Quod ad romanam adinet ecclesiam, unctionis vix ullum istis primis temporibus occurrit vestigium, sed sola videtur manuum impositio usitata fuisse. Quæ Cornelius, Episcopus Romanorum, de Novato schismatico refert, eum, utpote qui clinicorum modo baptisate fuerit tinctus, *NON FUISSE AB EPISCOPO CONSIGNATUM*, c) neque propterea spiritum sanctum accepisse, recte quidem ab *HENR. VALESIO*, non ad unctionem aliquam, sed ad impositionem manuum, referuntur. d) Qui mos, quodque dogma, quod Spiritus s. donum ab impositione manuum proficiscatur, hancque solus episcopus rite possit peragere, cum in tota orientali ecclesia esset ignotum; *DIONYSIUS ALEXANDRINUS*, in sua ad Philemonem, ecclesiæ romanæ presbyterum, epistola, e) istud quidem totum alto silentio præterit, neque illius rei, quæ Cornelio præcipua clamoris causa fuerat, vel verbulo meminit, longe alias ob causas Novatum carpens. Etenim respicit quidem Dionysius ad inveteratum illud præjudicium, quasi præter baptismum alius adhuc ritus ad conferendum Spiritum s. requireretur, atque propterea Novatum, qui inter suos ritum istum sustulerat, fugati a baptizatis Spiritus sancti accusat. Verum generalioribus utitur vocibus, atque studiose cavet, ne

A 3

idem,

c) Ap. *EUSEB. L. VI. C. 43.*d) in not. ad h.l. Conf. *SALMASIUS* in apparatu ad libr. de primatu papæ, p. 83. f.e) ap. *EUSEB. L. VII. c. 8.*

idem, quod Cornelius, dicat, istam spiritus sancti col-  
 lationem ab impositione manuum & a solius episcopi  
 ministerio proficisci, cum utrumque aliter statuerent  
 orientales. Neque hoc quidem cuiquam mirum videri  
 debet, quod apud Romanos, omissa unctione, sola  
 manuum impositio adhiberetur, cum adhuc *GREGORII*  
*M.* ætate, diversam plane consuetudinem in diversis ec-  
 clesiis fuisse usitatam, ex ipsius epistolis pateat, f) ita  
 quidem, ut supplementum istud confectum baptismatis  
 in aliis ecclesiis, ac in orientalibus quidem, unctione  
 chrismatis, in aliis vero, occidentalibus nimirum præ-  
 cipue, impositione manus perageretur. Qui locus *Gre-*  
*gorii* etiam in Jure canonico habetur g). In aliis rursus  
 occidentis ecclesiis Africanorum mos obtinebat, ut ad-  
 hiberetur & unctio & manuum impositio. Atque illud  
 quidem superioribus temporibus procul dubio ita gere-  
 batur, ut, quemadmodum apud Africanos, unctio pro-  
 xime cum ipso baptismo conjuncta a quovis presbyte-  
 ro conferretur, impositio manuum vero reservaretur  
 episcopo. Neque enim modo *CHEMNITIUS* noster pro-  
 batum dedit h), adhuc medio ævo presbyteris potesta-  
 tem unguendi sacro chrismate concessam fuisse: sed ip-  
 se *BELLARMINUS* haud levia ejusdem rei suppeditat ar-  
 gumenta i): quamquam fingat, hanc unctionem a confirma-  
 tione

f) L. IX. epist. 61.

g) de consecrat. Distinct. 4. C. 44. p. m. 1219. f. conf. *BEBELII*

Antiquit. eccl. sæc. IV. P. II. Artic. 9. Sect. 1. §. 74. p. 786.

h) Ex. concil. Trid. P. II. de confirm. p. m. 259.

i) Controv. fidei L. II. c. 8. 9. p. m. 89. ff.

firmatione fuisse diversam. Veruntamen hæcenus Bellarminus verum pronunciaſſe videri poteſt, ſi res ita capiatur, ut confirmatio in priſca eccleſia romana, ſola tantum manus impoſitione, nullo adhibito chrismate, conſtiterit, ſenſim vero eadem eccleſia, exemplo africanarum aliarumque occidentis eccleſiarum uncti- onem adoptaverit, non quidem ad confirmationem episcopalem peragenda, ſed tanquam ritum baptis- malem, adminiſtrandum a quolibet presbytero bapti- zante. Hujus rei luculentum veſtigium habemus apud ipſum Gregorium M. qui ſupra nos docuit, in romana eccleſia confirmationem fuiſſe peractam impoſitione manuum. Etenim alio loco k) uncti- onis mentionem fa- cit, ſed ita, ut innuat, hanc ad ipſum baptis- matis actum pertinuiſſe, & a presbytero baptizante eſſe col- latam. Quod quamvis Gregorius, utpote ſtrenuus au- ctoritatis episcopalis, imprimis romanæ, propugnator, prohibere conaretur, murmurationibus tamen populi deterritus, permittit hanc poteſtatem presbyteris bapti- zantibus. Unde & ſuſpicari facile licet, Gregorium cauſam iſtam, qua prius iſtud interdictum palliare ſtu- det, quaſi vetus uſus eccleſiæ romanæ is fuiſſet, ut pres- byteris ungere haud liceret, excogitaſſe tantum, ut ſe a dominatus in presbyteros affectati ſuſpicionem libera- ret. Sane non ita timidus aut eminentiæ episcopalis adeo negligens, aut erga minores clericos & populum ita facilis erat Gregorius, ut propter levem aliquam non-

k) Epist. 26. L. III. conf. Decret. Gratiani, P. I. Diſtinct. 95. cap. *pervenit quoque.*

nonnullorum offensionem, hanc ministerii partem presbyteris concederet, si quidem ista ex veteri usu ecclesiæ romanæ ad reservata episcopalia pertinuisset. Re ipsa totum istud ita accidit, ut, cum Africanorum aliorumque consuetudo, signandi chrismate baptizatos, sensim & a Romanis reciperetur, etiam apud hos, ut apud illos, presbyter baptizans hanc cæremoniam baptismo adderet, sola manus impositione ad episcopum, ex antiquo more, rejecta: Gregorius vero, amplificandæ auctoritatis episcopalis admodum studiosus, etiam hunc ritum presbyteris adimere, atque tanquam incrementum quoddam episcopi potestati adjicere conaretur. Affert Bellarminus l. c. aliud argumentum unctionis apud Romanos permixtæ presbyteris ex vita Sylvestri, Damaso adscripta: sed istud quidem adhibere nolumus; cum opinio ista de libro pontificali, Damaso auctori tribuendo, dudum a doctis viris explosa sit.

Sed quod Gregorius timide agebat, neque perficiebat, ut chrismatis usus episcopis novum splendorem præ presbyteris adderet, id ipsum episcopi alia ratione & via consequerentur. Etenim receptio eorum, qui apud hæreticos baptismum acceperant, quæ post Stephani romani atque Cypriani carthaginiensis certamina, communi ecclesiarum consensu, non baptismate ipso reiterando, si quidem ab hæreticis in nomine SS. Trinitatis administratum fuerit, sed confirmatione tantum, peragebatur, occasionem dabat nonnullis episcopis occidentalibus, in hac confirmatione utrumque ritum, & unctionis, qui, ut supra docuimus, apud orientales receptus

ceptus erat, & imponendæ manus ex latinorum consuetudine, conjungendi. Cujus quidem rei expressum habemus vestigium in concilio Arelatenſi II. medio circiter sæculo V. celebrato, ubi Can. XVII, hæc leguntur verba: *Bonosiacos autem, ex eodem errore venientes, (quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est) dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, CUM CHRISMATE ET MANUS IMPOSITIONE in ecclesia recipi sufficit.* Atque hoc gallicarum ecclesiarum more fortasse inductus Gregorius, chris-matis collationem confirmationi addere, atque sic eandem episcopis attribuere tentavit: sed quoniam id quidem tentavit cum injuria presbyterorum, quibus propterea omnem unctionis administrationem, etiam quæ cum ipso baptismo conjuncta erat, adimere voluit, nihil perfecit. Cæterum ex his luculenter apparet, quomodo & qua ratione sensim in occidentali ecclesia chris-matis usus ad peragendam confirmationem accesserit, cum antea ad hoc quidem negotium perficiendum sola manus impositio adhiberetur. Num vero Romana ecclesia aliquo tempore, gallorum exemplo, itidem utrumque ritum conjunxerit, hujus quidem rei apud priscos scriptores nullum expressum animadverti vestigium. Sed illud quidem nunc in aprico positum est, quod & in commentatiuncula prima jam monuimus, ipsam romanam ecclesiam cum cæteris occidentalibus, ipsius communioni adhærentibus, ab antiquo suo more plane descivisse, abjectaque confirmandi ratione ipsi a priscis temporibus propria, ad græcorum consuetudinem se composu-

B

posuisse; cum loco impositionis manuum plane abolitæ solius chrismatis usus in illa obtineat, neque recentior Romanorum confirmandi ritus quidquam cum primæva romana consuetudine habeat commune. Etenim secundum hodiernam Romanorum consuetudinem, in confirmatione episcopus, aut ejus vicarius, homines solo chrismate in fronte crucis forma unctos palmaque leviter percussos dimittit 1). Quæ hic, quæso, similitudo cum prisco romano more imponendi manum? Bellarminus equidem, aliique Romanenses vehementer hoc loco sudant, ut hunc novum confirmandi ritum cum veteri concilient: sed nugas agunt. Neque ipsi plerique ex romanæ ecclesiæ asseclis, qui hoc commentitium sacramentum exponunt, impositionis alicujus manuum vel levisimum vestigium monstrare audent. Quo tempore vero ecclesia romana hanc ab antiquo suo more defectionem admiserit, accurate definiri nequit. Procul dubio hæc ecclesia, qua in custodiendo antiquitatis exemplo nulla alia fuit negligentior & infidelior, ad hanc immutationem introducendam atque firmandam non uno impetu, sed sensim est delapsa.

Jam vero duplex adhuc historica quæstio paucis discutienda restat. Etenim cum permagna ecclesiæ christianæ pars, totus nimirum oriens, opinionem istam, quod solus episcopus supplementum istud baptis-

mi

1) Qui hanc confirmandi cæremoniam, prouti hodie in rom. eccl. peragitur, accurate & copiose noscere avert, præter BELLARMINUM, de controv. fid. L. II. c. 8. ff. adeat JO. STEPH. DURANTUM de ritibus eccl. cath. L. I. c. 20. p. m. 59. ff. coll. BARTH. GAVANTI Manual. episcop. p. m. 88. f.

mi fictitium recte administrare, atque propterea Spiritum s. conferre possit, inde ab antiquissimis temporibus ignoraverit, nec unquam admiserit; mirum cuiquam videri possit, qua tandem ratione acciderit, ut hæc opinio aliam tamen ecclesiæ partem, romanam præcipue, jam a primis temporibus occupatam teneret? Deinde cum, uti in priori commentatiuncula demonstratum est, totus hic ritus, primis quidem temporibus, adeo ab ipso baptismo non fuerit secretus, ut potius cum tinctione aquæ pro uno atque continuo haberetur sacramento; recte quæritur, quomodo sensim ille ab ipso baptismo ita fuerit auulsus, ut peculiare inde & proprium sacramentum exsculperetur? Atque ad primam quæstionem quod attinet, illa quidem cum dogmate de origine episcoporum arcte conjuncta est. Hæc vero causa, cum hoc loco accurate disceptari haud possit; paucis indicasse sufficiet, præ reliquis JOSEPHI BINGHAMI sententiam, sejuncta erronea persuasione de divino & apostolico quodam mandato, quod cæteroquin ad summam rei adtinet, mihi quidem vero videri proximam & simillimam m) Etenim cum Apostolorum res gestæ luculenter nos doceant, nonnullos ab ipsis interdum vicarios quasi esse dimissos, qui statum ecclesiarum ordinarent, presbyterosque passim constituerent, eorumque & integrarum ecclesiarum gererent curam, cujus generis apostolicus legatus fuit TIMOTHEUS, 1 TIM. c. 1, v. 3. c. 3, v. 15. c. 5, v. 22. fuit & TITUS, TIT. c. 1, v. 5; facile accidere potuit, ut post

B 2

m) BINGHAM. *orig. ecclesiast.* L. II. c. 1. ff. vol. I. p. 59. ff.

plerorumque apostolorum discessum ex hac vita, ecclesie sibi persuaderent, necessarios esse ejusmodi vicarios apostolicos, qui earum curarum pro qualibet ecclesia partem fusciperent, quam antea habebant vel ipsi apostoli vel eorum legati. Hinc ex Presbyterorum numero legebatur aliquis, cui suprema ecclesiasticorum negotiorum gubernatio munusque ordinandi reliquos ecclesie ministros committeretur. Hi proprie habebantur Apostolorum successores, iisdemque episcoporum appellatio, quæ ab initio cunctis presbyteris fuit communis, eminentiori modo conferebatur. Atque hæc quidem sententia cum *Hieronymiana* illa, quæ &, si ab Episcopalibus anglicanis discedas, vulgaris plerorumque protestantium Theologorum, atque post *BLONDELLUM*, *SALMASIUM*, aliosque fere innumeros, inter nostrates præcipue a b. *JOH. FRANC. BUDDEO* n) ac celeberr. *CHRIST. MATTH. PEAFFIO* o) accurate & luculenter exposta est, facile conciliari potest. Inprimis vero ad hanc nostram quæstionem dirimendam ista Binghami sententia vehementer est accommodata. Etenim cum, prouti in priori commentatiuncula monuimus, prisca Christiani ad discrimen inter dona miraculosa & ordinaria haud satis accurate prudenterque attenderent, putarentque, eadem illa charismata, quæ ab Apostolis nonnunquam impositione manuum post baptismum fuerant collata, perpetuo in ecclesia esse mansura; admodum facile nonnulli doctores in eam adducebantur opinio-

n) Dissertat. hist. theol. de origine & potest. episcoporum. *Miscellan. th.* P. I. p. 131. ff.

o) *Origin. juris eccles.* Artic. 2. p. m. 33. ff.

nionem, hanc charismatum collationem ad solos episcopos, utpote qui proprie Apostolorum locum obtinuisse putabantur, pertinere, neque ab alio quoquam rite conferri posse. Atque cum superstitiosa satis mature accederet veneratio primorum institutorum, totum hoc, ut ipsa origo episcoporum, ad divinum referebatur jus atque institutum. Neque tamen primis statim sæculis ista persuasio adeo omnium animos occupare potuit, ut veritatis plane nulla relinquerentur vestigia. De ipsa episcoporum origine *HIERONYMUS* nudam veritatem satis acute perspexerat, cui accedunt plura aliorum doctorum istius & præcedentis ævi testimonia p). Neque igitur solus Hieronymus hujus sententiæ, quod episcoporum eminens auctoritas humano tantum jure constet, est auctor: atque multo minus idem ille, quæ nonneminis est exceptio, uno tantum loco in affectus cujusdam fervore ejusmodi verba inconsulto quasi protulit, sed sæpius dataque opera eandem sententiam repetit atque inculcat q). Imprimis vero in Dialogo contra Luciferianos r) errorem istum, quasi solus episcopus per manuum impositionem possit conferre Spiritum sanctum, acriter dataque opere perstringit, totam hanc opinionem, docens, in sacerdotii honorem esse excogitatam.

Quod ad alteram quæstionem attinet, qua ratione ex isto ritu peculiare & a baptismo diversum sacramentum sit exsculptum; ego quidem b. *MOSHEMIO* suffra-

B 3

gari

p) Conf. *BUDDEUS* l. c. §. 9. p. 146. f. q) Ex. c. in epistola ad Evagr. in comment. in Titum &c. r) Oper. T. III. p. m. 62. f.



gari nolim, qui primis temporibus, abrogato presbyteris omni sacerdotio, uni episcopo totam cultus divini rationem esse commissam autumat, episcopum vero deinceps rursus presbyteris, qui nudi fuerint ipsius vicarii, partem aliquam liturgiæ, præsertim baptismi administrationem, concessisse, confirmandi vero ritum per imponendas manus reservasse sibi: quo significaretur, omnem sacerdotii potestatem residere in episcopo, presbyteros vero non ex propria aliqua, sed ex aliena tantum potestate baptismum conferre s). Quamquam enim hæc sententia sit ingeniosa; omni tamen antiquitatis testimonio destituitur: neque ex eo confirmari potest, quod presbyteris sine episcopo gerere nihil licuit. Id enim supremam tantum episcopo competentem ecclesiæ curam & gubernationem indicat, neutiquam vero reliquis clericis omne jus proprium adimit. Tota hæc causa nihil habet difficultatis, atque cum reliquis antiquitatis christianæ monumentis pulcherrime conspirat, dummodo ea, quæ adhuc disputata sunt, probe teneamus. Etenim cum in ecclesia romana ritus iste, a quo tanquam a supplemento baptismatis quodam collatio Spiritus sancti suspendebatur, uni episcopo esset reservata: episcopus vero in oppidis minoribus atque pagis dioceseos suæ ubique semper, & confestim in ipsa baptismatis administratione præsto esse haud posset; accidit necessario, ut differetur iste ritus ad opportunum quoddam tempus, quo aut baptizati ad episcopum adduci, aut ipse episcopus in oppida atque pagos

s) Institut. hist. christ. major. sæc. I. P. II. c. 2. §. 14. p. 183.

pagos excurrere posset ad confirmandum baptismum a presbyteris jam dudum collatum, per impositionem manuum. Quod quidem rursus *HIERONYMUS* acute perspicuus, *non abnuo*, inquit, *hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus, excurret t*). Atque sic sensim accidit, ut id quod antea ipsius baptismi esset pars & complementum, neque per se & se junctum a baptismo, sed cum illo arctissime junctum, Spiritum s. afferre credebatur, abiret in peculiare quoddam & a baptismo diversum sacramentum: quæ tamen tota res erat fictitia, & priscis ecclesiis plane ignota. tt)

His ita explicatis, sequitur, ut nostræ ecclesiæ veram sententiam de dono Spiritus sancti, an & quatenus illud ad episcopi ministerium sit alligatum, paucis exponamus. Atque hæc quidem res duplicem habet disputationem. Aut enim præcise ad episcopos, quatenus illi peculiarem & a presbyteris diversum ordinem constituunt, respicitur, atque quæritur, num sine illo episcoporum ordine eorumque ministerio, Spiritus sancti donum haud habeat locum? aut vero in universum de ministerio ecclesiastico, cui nos totam episcopalis muneris spiritualem potestatem tribuimus, disputatur, an ad illud Spiritus sancti donum plane sit adstrictum, neque cuiquam Spiritus sanctus contingere possit, sine intercedente opera publici ecclesiæ ministri? Priori ratione

t) Dial. contra Lucif. p. 63. tt) conf. de tota hac causa, præter auctores passim laudatos, GABR. ALBASPIN. de vet. eccl. ritib. L. I. obf. XXV. p. m. 115. ff. & alibi passim. Imprimis vero JOA. DALLÆUS de cultib. relig. latin. L. II. per integr.

tione si consideremus hanc causam, nullos ea habet dif-  
 ficiles explicatus. Etenim totus ille episcoporum pe-  
 culiaris ordo, quamvis pio, humano tamen consilio est  
 introductus, neque ullum habet in scripturis sacris ex-  
 pressum testimonium aut mandatum. Cujus quidem  
 rei unus nobis hoc loco sufficiat auctor atque testis,  
*HENR. DODWELLUS*, cujus portentosa opiniones de po-  
 testate & vi muneris episcopalis cæteroquin omnem  
 excefferunt modum. Hic vero in *paranese ad exteros de*  
*nupero schismate anglicano §. 14.* ingenue fatetur, *nullum*  
*esse, qui id* (qualis forma regiminis ecclesiastici necessa-  
 rio obtinere debeat) *profiteatur aperte, sacri scriptoris lo-*  
*cum: & ne quidem ullum, qui ita de regimine agat ecclesia-*  
*stico, quasi id voluisset scriptor, aut scriptoris auctor Spiritus*  
*sanctus, ut formam aliquam unam regiminis ubique & in*  
*omne ævum duraturi describeret.* Qua quidem confessione  
 quamvis abutatur *DODWELLUS* ad stabiliendam ecclesi-  
 asticam traditionem; totam tamen episcoporum cau-  
 sam ipse jugulat vir cæteroquin doctus, neque quid-  
 quam aliud agit, nisi ut turpissimas principii petitiones  
 ubique committat. Etenim hoc ipso, quod Spiritus s.  
 nullam formam ecclesiastici regiminis ecclesiæ suæ præ-  
 scriptam & injunctam reliquit, efficitur liquido, libe-  
 ram hanc rem esse velle Deum in ecclesia: atque dum-  
 modo ministerium verbi publicum adsit & vigeat, cæ-  
 tera, qualis sit externa forma istius ministerii, commis-  
 sa esse curæ & arbitrio ecclesiarum, ut cuncta ad tem-  
 porum opportunitatumque rationes attemperent. Ne-  
 que igitur beneficia divina ecclesiæ promissa, ad ullam

ali-

aliquam ejusmodi peculiarem formam adstricta & alligata esse possunt. Quamvis itaque, primam episcoporum institutionem ad ipsa apostolica tempora referendam esse, hancque regiminis ecclesiastici formam istis temporibus & incremento tenerarum ecclesiarum, quarum nemo inter civiles principes ullam suscipiebat curam, accommodatissimam fructuosissimamque fuisse, negare nolim; æque tamen peccant auctoritatis episcopalis acres patroni, ac reliqui omnes, qui cuncta, quorum nulla adest in scripturis expressa, & ab ipso Deo præcepta forma, nulla temporum cæterorumque momentorum habita ratione, exactissime ad primitivæ ecclesiæ statum componi cupiunt: unde inanes tantum conatus, atque res publicæ platoniciæ nasci possunt. Recte igitur ecclesia nostra neque contemnit prorsus aut vituperat episcopalem ordinem: neque tamen beneficia divina atque donum Spiritus sancti ab ipso suspendit u). Est & erit Spiritus sanctus ejusque dona in ecclesia, ubicunque verbum divinum & sacramenta adsunt, etiamsi nullus adestet in toto terrarum orbe episcopus.

Sed si de ministerio ecclesiæ publico in universum quæritur, num sine illius proxima opera intercedente, Spiritus sancti quis compos fieri possit; magna circumspeditione atque cura hic locus tractandus erit.

C

Atque

u) Conf. de hac ecclesiæ nostræ sententia, b. JO. FRANC. BUDDEUS, l. c. §. 42. *Miscellan. th. P. i. p. 197. f. &*, qui hanc causam omnium copiosissime discutit, *celeber. CHRIST. MATH. PFAFFIUS, in dissert. de successione episc. apud Protest. prelio, quæ recentiori edit. originum jur. eccles. annexa est, C. 11. ff. p. 271. ff.*

Atque primo quidem istud plane tenendum est, res ipsas, quarum administratio ecclesiastico ministerio est commissa, verbum divinum scilicet atque sacramenta, ab ipso Deo esse ordinatas, ut sint ex ipsius sapientissimo & liberrimo consilio unica media, quibus Spiritus s. ejusque dona in hominum illabantur animos: neque audiendi sunt fanatici homines, qui extra & præter verbum expectant Spiritum sanctum. Illud deinceps æque certum est, ut vigeant verbum & sacramenta in ecclesia, ministerium ecclesiæ publicum ex eodem illo sapientissimo divino consilio & ordinatione plane esse necessarium. Ad ipsam ecclesiam conservandam fundamenti atque baseos loco publicum istud verbi ministerium a Deo substructum est: neque ipsum verbum retineri posse, sed tota ecclesia satanæ impetu jam dudum fuisse interitura videtur, nisi sapientissima ista Dei ordinatio obstitisset. Quamquam enim & illud inficiari nemo prudens possit, malos subinde ministros aut erroribus manifestis, aut affectuum furore aliisque ejusmodi conatibus, plus calamitatis, quam boni fructus in ecclesiam inferre, atque ipsum verbum, quantum in ipsis est, opprimere; semper tamen Deus excitat atque fovet, atque contra malorum furores protegit bonos ministros, qui sint instrumenta divina ad propagandam evangelii puritatem, conservandumque veræ ecclesiæ semen. Hinc & eos videmus, qui universæ religioni christianæ male cupiunt, imprimis ferali odio ferri adversus publicum ecclesiæ ministerium: hoc enim penitus oppresso & extincto, de tota ecclesia & religione christiana facile actum fore, non sine ratione putant.

Neque

Neque ista ars politica alia, nisi *ψευδοπολις*, cenferi debet, quæ quamvis non adeo crasse, re ipsa tamen eo tendit, ut vilescat ministerium ecclesiæ, omnibusque ornamentis suis spoliatur: cui quidem rei vera ars politica per id maxime occurrere debet, ut non nisi ejusmodi ministri ecclesiarum constituantur, qui prudentia spiritali atque sanctitate morum ipsi ornent munus sibi demandatum.

Veruntamen, utut cuncta hæc certa & indubitata sint; nunquam tamen ecclesia nostra ita superstitiose Spiritus sancti operationes atque dona ad publicum ministrum alligavit, ut ipso facto, atque, ut ajunt, in casibus individuis, nunquam Spiritus sancti gratiosa præsentia sese exferat, neque quisquam donorum illius variorum particeps fiat, nisi hoc ipso momento, quo coram ministro præsens sit, verbumque proxime ipsius ore prolatum excipiat. Etenim, quemadmodum, quod ad sacramenta attinet, baptismi certe administratio in necessitatis casu cuilibet Christiano permittitur, atque propterea affirmatur, quemlibet Christianum posse alteri per baptismum Spiritum sanctum impertire; ita ipsius verbi salutaris tractatio atque vis multo adhuc minus ad unius ministri oralem prædicationem adstringitur. uu) Docent ecclesiæ nostræ, omnem atque multiplicem Spiritus sancti gratiam non in sola prædicatione verbi publica, sed & in tractatione illius privata piisque christianorum colloquiis inesse x), ita ut quilibet Christianus, quocumque tempore verbum Dei pie meditatur, aut de eo cum aliis differit, possit adipisci quodcumque Spiritus sancti donum, quo ipsi isto tempore opus sit. Quocirca ex. c. affirmare velle, Spiritus sancti consolatricem gratiam, quæ fides contriti peccatoris, de impetrata per Christum remissione peccatorum confirmatur atque certa redditur, nunquam cuiquam posse contingere, nisi cum ex ecclesiæ nostræ instituto post confessionem privatam, privatam absolutionem ex ipsius ministri ecclesiæ ore percipit, foret vox evangelico homine plane in-

uu) De ecclesiarum nostrarum pio, sed non sacramentali ritu, confirmandi Catechumenos, vid. CHEMNIT. l. c. p. 258. ff.

x) vid. Ex. gr. Artic. Smalcal. P. III. artic. 4. p. 329, edit. Rechenberg.

indignā y), & superstitionem atque dominatum papalem redoleret. Quin &, quocumque tu modo ministerii ecclesiastici opera utaris, neque ipse piis precibus jugique meditatione prosequaris verbum divinum, ipsique privatim ex toto obtemperes animo, nihilo fecius tamen tibi persuadeas, propter istum externum usum ministerii publici aliquid donorum Spiritus sancti te esse adeptum; totam istam persuasionem ecclesia nostra, tanquam pontificium commentum de opere operato, damnat atque averfatur.

Atque hoc ipsum est, CIVES, de quo vos monitos esse velim, ut ad hæc ecclesiæ nostræ vera & voluntati divinæ consentanea principia res atque mores vestros non in his modo festis diebus, sed per totam vitam vestram, componatis. Grato animo agnoscite sapientiam atque bonitatem divinam, in instituendo publico verbi ministerio conspicuam. Bene compositis mentibus utamini illius opera ad auscultandum publice Dei verbum, cæteraque gratiæ remedia percipienda. Nulla vos abripiat morum feritas, qua abutamini his diebus ad lasciviam. Adde privatam jugemque scripturæ s. meditationem, pia & fraterna colloquia, indefessasque preces, quo Spiritus sancti donorumque illius compotes reddamini. Huc operam, huc curas vestras omnes conferte. Neque enim sine isto divino dono aut studia, aut reliqua vita vestra, quidquam bonæ frugis efferre poterunt.


y) vid. præ cæteris ipse b. LUTHERUS, oper. T. XI. p. 1040. T. XX. p. 127. s. imprimis vero elegantissimum responsum, nomine totius Facultatis theolog. Wittemb. ab ipso, 1539, ad Magistratum Norimb. de absolutione privata, conscriptum, T. XXI, p. 428. ff. edit. Halens.

P. P.

SUB SIGILLO ACADEMIÆ  
IPSA PENTECOSTES PRIMA FERIA,  
MDCCLXII.











1010clxxvii; et Ioh. Creighton in commentario,  
 hic: *De Brief van den H. Apostel Iudas ontleedet en*  
 arlemi cl01cccxxviii. Ex Pontificiis in eam com-  
 : Augustinus de Quiros, societatis Iesu, in libro  
 auorum cl01cccxxviii secunda vice edito: Adamus  
 ulgo Sasbouth, cuius *expositio epistolae Iudae* in operi-  
 , Coloniae Agrippinae cl01clxxxviii tertia vice  
 is, exstat. Theoduli, Itali, *commentarium in Iudae*  
 tum est bibliothecae Patrum, edit. Parisiis cl01ccx:  
 ardentii commentarius in eandem exscriptus est  
 ae Agrippinae cl01ccxv. Henricus Lancelotus,  
 us, scripsit in epistolam Iudae *anatomiam Christiani*  
 ntwerpiae cl01cccxxiiii: Franciscus Laurelotius  
 cxii *exegetin in epistolam Iudae theologicam, catholicam*  
 didit: Aegidius Radeus et ipse hoc in loco suum  
 m foras dedit. est autem recusus Geneuae cl01ccxc-  
 ofius Ansbertus, vt vulgo, vel Autpertus, Bene-  
 lanationes in Iudae epistolam dedit Coloniae cl01ccc-  
 olducius, Franciscanus, eam exposuit Parisiis cl0-  
 , Martinez Segunti cl01ccxxviii, ac Raphael Maf-  
 nemadmodum alii volunt, Maffeus, *explanationem*  
 ae suppeditauit Venetiis cl01clxxvi. Inter Soci-  
 entarium in hanc epistolam conscripsit Ioh. Ludo-  
 enius, Baro Austriacus, qui in *bibliotheca vnita-*  
 poli (quod est fictum nomen) cl01clvi edita,  
 in eadem reperitur etiam *fragmentum commentarii in*  
 , cuius auctor est Ionas Schlichtingius a Buko-

Iudae epistola. Offert se mihi et aliud praefatio-  
 um. Nuper enim, in locum placidissime defun-  
 atis Consulis KLVSMAINI, suffectus est vir Con-  
 BLECHEN. qui adhuc ita praeclare, vti de vni-  
 uersa

